

tizlauia salubriter et provide institutum est, ratum et gratum habentes saepedictos LII solidos annui census cum annexis seruitiis in villa Trebticz sitos per supradictum Hugonem de Tubinheym et . . eius uxorem, quae ipsum censum cum seruitiis annexis a nobis tenuit in dotalitium, ad manus nostras sponte et libere resignatos cum pleno iure et omni utilitate ad praebendam minorem et lumen perpetuum appropriamus, donamus et tradimus nostri capituli consensu et licentia accedente ad id plenarie sub his modis, quod ad lumen perpetuum XXX solidi, ad praebendam vero XXII solidi cum adiacentibus seruitiis pertineant perpetuo ministrandi. Item ad altare sancti Stephani sepedictum, ut perpetuis temporibus officietur, XXIII^{or} solidos annui census in Trebticz sitos, quos idem Arnoldus de Bor prius nobis libere resignavit, cum omni iure et utilitate donamus et appropriamus et appropriatos in nomine domini praesentis scripti patrocinio confirmamus. Volumus tamen, ut quamdiu idem Henricus altare sancti Stephani per se ipsum officiare voluerit, saluum et liberum sit eidem praedictos XXIII^{or} solidos tollere et ipsius usibus applicare. In quorum omnium et singulorum evidens testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum et actum Misnae anno domini M^o. CCC^o. XX^o. secundo in crastino exaltationis sanctae crucis praesentibus fidelibus nostris magistro Hermanno officiali nostro, Misnensis ecclesiae canonico, Petro plebano in Mogelin, Tizmanno in Russyn, Nicolao in Aldin Liznik plebanis, Heinrico scriptore nostro Budissinensis ecclesiae canonico et quam pluribus fide dignis.

Et nos Waltherus dei gratia praepositus ecclesiae Misnensis, Conradus de Strele senior de capitulo totumque capitulum saepedictae Misnensis ecclesiae ad exprimendum nostrum consensum ad haec omnia et singula concorditer accessisse sigillum nostri capituli praesentibus duximus appendendum. Actum et datum anno et die praenotatis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln wie No. 383.

No. 385. 1322.

B. Withego II. und das Capitel genehmigen die von dem Priester Petrus vorgenommene Ueberweisung von Zinsen und Einkünften an die von ihm und seinem verstorbenen Bruder dem Domherrn Nicolaus gegründete Simon- und Judascapelle.

In nomine domini amen. Nos Wythigo dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis recognoscimus et ad universorum tam praesentium quam futurorum volumus notitiam pervenire, quod dilectus nobis dominus Petrus filius quondam Theoderici Kunekonis de Vriberg sacerdos cupiens auementare redditus capellae sanctorum Symonis et Judae apostolorum et sanctorum doctorum Gregorii papae, Augustini et Ambrosii episcoporum et sancti Jeronimi confessoris, quam ipse et quondam dominus Nycolaus frater suus Misnensis canonicus nomine perpetuae vicariae in nostra ecclesia de nostra et nostri capituli licentia instituerunt et salubriter dotarunt, sicut in litteris nostris et nostri capituli confectis desuper continetur, ipsi capellae seu vicariae assignavit, dedit et tradidit possessiones, censum seu redditus infra scriptos. In primis quidem motu